

caule e basi ramoso aliisque notis a priore, involuero setoso a posteriore recedit.

52. SONCHUS SCHMIDIANUS C. Koch.
Sonchus ciliatus Wight ic. pl. Ind. orient. t. 1141.

Annuus. Caulis elatus, erectus, superne ramoso-corymbosus, setis glanduliferis magis minusve vestitus aut subglaber, striatus; folia pinnatifida aut integriuscula, glaberrima, subtus glaucescentia, margine spinoso-dentata, auriculis magnis lanceolato-hastatis caulem amplectentia, floralia integra triangulari-lanceolata; capitula subterna pedunculata, involucri flosculis parum breviora, setis singulis obsito; flosculi marginales extus magis minusve violacei, apice 5 dentati; achenia oblonga, compressa, subtiliter transverse rugulosa, facie externa 3-, interna 5-nervia, marginalia albescentia, saepe sterilia, caetera testacea.

- a. genuinus: folia pinnatifida; caulis minus setosus.
- β. Wightianus: folia subintegra, triangularia; caulis maxime setosus.

Nonnullis annis praeterlapsis haec species allata est e montibus Indiae orientalis Nilgerri (anglice Neelgherry) i. e. coeruleis a cl. Schmid, missionario, de re herbaria indica bene merito. Ab affini *Soncho oleraceo* (L.) Koch. Syn. (*S. ciliato* Lam.) non aegre distinguitur caulis altitudine et auriculis triangulari-lanceolatis, permagnis. (C. K.)

53. ASTRANTIA NEGLECTA C. Koch et Bouché.

Glaberrima; folia radicalia et caulina palmato-quinqueloba: lobis obovato-ellipticis, exterioribus latioribus, omnibus grosse serrato-dentatis, dentibus semiovatis latere exteriori iterum serrulatis, apice in aristam brevissimam desinentibus; involucri phylla oblongo-linearia, arista brevissima terminata, integerrima, 3nervia, umbellam aequantia; calycis lacinae ovato-lanceolatae, diametro germinis paulo, petalis fere duplo breviores; diachenium latissime oblongum, latitudine tertia parte longius, laciniis calycinis lanceolatis aristatis brevibus coronatum; jugorum tubercula creberrima, obtusa.

Species *A. Bieberstenii* Trautv. et *A. majori* L. accedens. Foliorum laciniis brevibus, minus planis, superne subbullatis, serraturae aristis brevissimis et diachenii subsphaericis, laciniis calycinis brevibus coronatis distinguitur.

In horto Berolinesi jam diu culta. Patria dubia. (C. K.)

54. SPIRAEA PIKOVIENSIS Bess.
enum. pl. Volh. p. 46.

Ramuli ferrugineo-brunnei, glaberrimi; folia oblonga, acuta, versus apicem dentibus 3-5 erectis serrata, glaberrima, nervis secundariis elevatis, inferioribus primario magis minusve parallelis; corymbi ad basin foliis paucis obsiti, seriores aphylli, axillares; calycis lacinae ovato-triangularis, trinerves, horizontaliter patentes; petala latiuscula, subrotundata, emarginata, filamentis 20 uniserialibus duplo breviora. Neetaria 10 ovata, flavescencia, squamaciformia, sed majuscula; carpella erecta.

Species a beato Bessero ante XL annos prope urbem podolicam Pikow detecta et jam diu in hortis culta, sed a botanicis neglecta. Inter *S. oblongifolia*

liam W. et K. et alpinam Pall. ambigua, a priore discrepat ramulis etiam junioribus glaberrimis, a posteriore contra longitudine sepalorum et petalorum inaequali. *S. chamaedryfolia* L., quacum beatus Ledebour *S. pikoviensem* conjunxit, paucis notis convenit (C. K.)

55. SPIRAEA EXPANSA Wall. in hort.
(Spiraea nepalensis; Spiraea sp. de Kamaon, Spiraea montana Hort.)

Ramuli rufi, pubescentes, teretes; folia elliptica aut elliptico-lanceolata, puberula, subtus glauca, breviter petiolata, ex parte majore superiore serrata; flores corymbosi, pubescentes; calyx basi in arceolum campanulatum expansus, limbi laciniis 5 horizontalibus triangulari-lanceolatis; petala alba, rotundata, laciniis calycinis paulo majora, filamenta aequantia; discus 10dentatus cum staminibus faucibus calycinae insertus; pistilla 5, rubra, libera, sed inferne arceolo calycino inclusa, pilosa, biovulata; styli divergentes.

Ad *S. callosam* Thunb. accedit, sed ramulis elevato-striatis, disco manifesto et petalis roseis aut roseo-albis haud aegre distinguenda. Circiter 4 hebdomades etiam antea floret. Speciem in nostris regionibus refrigeratis hyems saepe ad terram deurit, radix autem vere plerumque denuo pullulat. In subalpinis Himalayae sponte crescit. (C. K.)

56. SPIRAEA ELABELLATA Bert.
in Guss. pl. rar. 205. t. 40.

Sp. chamaedryfolia Ten. fl. japon. III, 9.
Sp. Nicoudierii Hort. et C. Koch hort. dendrol. 109.

Species distincta, omnibus partibus *Sp. crenata* major, jam diu in hortis dendrologicis sub nomine *Spiraeae Nicoudierii* culta et saepe cum *Sp. crenata* commixta est. In Italia forte pluribus locis crescentem auctores hucusque non nisi in regionibus Umbrae indicaverunt. Teste Barreliero etiam in Pyrenaeis reperitur. (C. K.)

57. VICIA GRANDIFLORA VAR. INCISA
A. Br. et Bouché.

Vicia grandiflorae Scop. varietas nova, analogae *Viciae incisae* Bieb., quae secundum Ledebourii floram rossicam ad varietates *Viciae sativae* pertinet. Foliorum inferiorum foliola ad medium pinnatifida, lobis passim dentatis; foliorum superiorum hinc inde dente instructa, supremam integra, oblonga, apice retusa et mucronata, ut in forma *Kitaibeliana* (*V. sordida* W. et K.). Corolla flava. (A. Br.)

58. VICIA (OROBIDES) UNIJUGA A. Br.
Orobus lathyroides L.

Cognitissimam hanc inque hortis botanicis ubique cultam speciem ad *Viciae* genus jam ante multos annos in herbario amandavi; stylus enim, qui in *Orobo* introrsum tantum pubescit, in hac specie utrinque aequaliter pilis obsitus est. Foliolorum quoque ptyxis, ut *Viciarum* mos est, simpliciter complicata, nec, ut in *Orobo*, convolutiva. *Viciae* sectio *Oroboides*, quam propono, continet species stylo modice complanato, nec tereti, ut in *Viciis* genuinis, et dividitur